


ORDO CONSECRATIONIS VIRGINUM

ORDO CONSECRATIONIS VIRGINUM




PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO CONSECRATIONIS VIRGINUM

EDITIO TYPICA



LIBRERIA EDITRICE VATICANA
MCMLXXVIII

Nova impressio 1978



SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 600/70

DECRETUM

Consecrationis virginum ritus in pretiosissimis liturgiæ romanæ thesauris adnumeratur. Sacram enim virginitatem, donum in primis excelsum, Christus Iesus quasi hereditate Sponsæ suæ reliquit. Ex quo factum est ut, ab Apostolorum temporibus, virgines suam castitatem Deo dicarent, mysticum Christi corpus exornantes ac mirabili ditantes fecunditate. Provida Mater Ecclesia, inde a prisca ætate — ut Sancti Patres testantur — pium arduumque virginum propositum sollemni consecrationis prece confirmare consuevit. Quæ, sæculorum decursu, aliis sacris cærimoniis adaucta, quo clarius significaretur sacras virgines imaginem gerere Ecclesiæ Christo desponsatæ, Pontificali Romano recepta est.

Concilium autem Vaticanum II statuit ut etiam consecrationis virginum ritus recognitioni subiceretur (cf. Const. de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* art. 80). Cui præcepto obsecutum, Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra liturgia hunc ritum apparavit, quem Summus Pontifex Paulus VI Auctoritate Sua Apostolica approbavit evulgarique iussit. Quapropter hæc Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis, illum promulgat, statuens ut, opportune aptatum, si casus fert, pro illis monialibus quæ iure eo utuntur, a die 6 ianuarii 1971 vigere incipiat.

Interpretationes populares a Conferentiis Episcopalibus apparatæ necnon ritus aptationes ad hanc Sacram Congregationem confirmandæ quam primum mittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 31 maii 1970, in festo Visitationis B. Mariæ Virginis.

BENNO Card. GUT
Præfectus

A. BUGNINI
a secretis

PRÆNOTANDA

I. De virginum consecrationis natura et vi

1. Mos virgines consecrandi, qui et in prisca viguit christianorum Ecclesia, effecit ut conderetur sollemnis ritus, quo virgo constitueretur persona sacrata, signum transcendens amoris Ecclesiæ erga Christum, imago eschatologica Sponsæ cælestis vitæque futuræ. Consecrationis ritu Ecclesia suum erga virginitatem amorem patefacit, supernam Dei gratiam in virgines implorat Sanctique Spiritus effusionem instanter rogat.

II. De præcipuis virginum muneribus

2. Ut constat, virgines sacræ, Spiritu Sancto impulsæ, suam castitatem devovent quo Christum ardentius diligant fratribusque expeditius deserviant.

Virgines christianæ enim, pænitentiæ et misericordiæ operibus, apostolicæ actuositati sanctæque orationi, pro suo quæque statu suisque charismatibus, debent vacare.

Ad orationis munus explendum, virginibus sacratis vehementer suadetur ut Officium divinum, Laudes et Vesperas præsertim, cotidie recitent; ita, vocem suam cum Christo summo Sacerdote sanctaque consocians Ecclesia, cælestem Patrem sine intermissione laudabunt et pro totius mundi salute intercedent.

III. Quibus mulieribus consecratio virginalis impertiri possit

3. Ad consecrationem virginalem admitti possunt sive moniales sive mulieres vitam sæcularem agentes.

4. Pro monialibus requiritur:

a) ut numquam nuptias celebraverint neque publice seu manifeste in statu castitati contrario vixerint;

b) ut professionem perpetuam aut in eodem ritu aut antea emiserint;

c) ut familia religiosa hoc ritu utatur ex antiqua consuetudine aut nova competentis Auctoritatis permissione.

5. Pro virginibus vitam sæcularem agentibus requiritur:

a) ut numquam nuptias celebraverint neque publice seu manifeste in statu castitati contrario vixerint;

b) ut ætate, prudentia, moribus omnium consensu probatis, fidem præbeant in vita casta atque Ecclesiæ proximique servitio dicata se perseveraturas;

c) ut ab Episcopo loci Ordinario ad consecrationem admittantur.

Episcopi autem est statuere quo modo ac ratione virgines vitam sæcularem agentes se obligent ad vitam virginalem perpetuo amplectendam.

IV. De ritus ministro

6. Minister ritus consecrationis virginum est Episcopus Ordinarius loci.

V. De ritus forma

7. Ad consecrandas virgines vitam sæcularem agentes adhibendus est ritus, qui in capite I describitur.

Ad consecrandas vero moniales sequendus est ritus, qui in capite II proponitur, in quo professio religiosa et consecratio virginalis congrue miscentur. Iusta tamen de causa, ritus seiungi possunt; ex. gr. ubi hoc fit ex antiqua consuetudine. Sed caveatur ne quædam ritus partes duplicentur; sed duæ actiones liturgicæ ita disponantur ut, in professionis ritu, quavis consecrationis prece omissa, tantum ea quæ ad professionem pertinent peragantur; prex vero *Deus, castorum corporum* et cetera quæ sponsalem indolem exhibent, ex. gr. anuli traditio, consecrationis ritui serventur.

Ritus partes sunt:

a) Virginum appellatio.

b) Homilia seu allocutio, qua populus et virgines de virginitatis dono admonentur.

c) Interrogationes, quibus Episcopus ex virginibus quærit num in virginitatis proposito perseverare et consecrationem recipere velint.

d) Supplicatio litanica, qua oratio ad Deum Patrem dirigitur et sanctissimæ Virginis Mariæ omniumque Sanctorum intercessio exquiritur.

e) Propositi castitatis renovatio (aut professionis religiosæ emissio).

f) Sollemnis consecratio virginum, qua Mater Ecclesia Patrem cælestem exorat ut Sancti Spiritus dona super virgines abundanter effundat.

g) Insignium consecrationis traditio, quibus interna consecratio exterius significatur.

VI. De Missa in ritu consecrationis virginum adhibenda

8. Convenienter dicitur Missa ritualis « In die consecrationis virginum ». Occurrente vero sollemnitate vel dominica temporis Adventus, Quadragesimæ aut Paschæ dicitur Missa de die, servatis, pro opportunitate, formulis propriis in prece eucharistica et in benedictione finali.

9. Cum autem liturgia verbi, celebrationi consecrationis virginum aptata, magnam vim habeat ad virginitatis bonum eiusque munus in Ecclesia illustranda, quando Missa « In die consecrationis virginum » prohibetur, unam lectionem sumere licet ex iis quæ in peculiari lectionario recensentur, præterquam in Triduo sacro, in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, vel in aliis sollemnitatibus de præcepto servandis.

10. Ad Missam ritualem « In die consecrationis virginum » celebrandam, sacræ vestes coloris albi adhibentur.

CAPUT I

DE CONSECRATIONE VIRGINUM

1. Consecrationem virginum fieri decet in octava Paschæ, in sollemnitatibus, præsertim in iis quæ ad dominicæ Incarnationis mysteria referuntur, in dominicis diebus, in festis beatæ Virginis Mariæ vel sanctarum Virginum.

2. Die constituta, consecrationis ritui proxima, vel saltem pridie, virgines consecrandæ præsentantur Episcopo ad pastorale colloquium instituendum inter filias et diœceseos Patrem.

3. Quod autem virgines vitam sæcularem agentes ad consecrationem virginalem admittuntur consilio et auctoritate Episcopi et plerumque diœceseos operibus deserviunt, ritus congruenter fit in ecclesia cathedrali, nisi res moresque loci hoc dissuadeant.

4. Tunc pro opportunitate, maxime ad castitatis laudem, sensum ecclesialem, ædificationem concursumque populi Dei fovendum, fideles de ritus celebratione tempestive certiores fiant.

5. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die consecrationis virginum, iuxta rubricas (cf. Præn. nn. 8-10).

6. Virginum consecratio de more fit ad sedem; ad participationem autem fidelium expediendam, sedes pro Episcopo ante altare opportune paretur; in presbyterio scamna pro virginibus sacrandis sic disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

7. Panis et vinum sacrandum, ea parentur copia, quæ sufficiat ministris, virginibus sacrandis earumque parentibus ac propinquis. Ideoque, si unus adhibetur calix, congruentis sit capacitatis.

8. Præter ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur: a) Pontificale Romanum; b) velamina, anuli aliave sponsalis consecrationis insignia, iuxta locorum præscripta aut probatas consuetudines, virginibus tradenda.

RITUS INTROITUS

9. Populo congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processio fit more solito eique intersunt virgines consecrandæ.

10. Decet ut duæ virgines iam Deo sacratæ vel duæ mulieres e laicorum cœtu delectæ, virgines consecrandas comitentur atque ad altare ducant.

11. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, virgines locis sibi in aula ecclesiæ designatis se disponunt; tum prosequitur Missa.

LITURGIA VERBI

12. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 81-137 proponuntur, sumi possunt (cf. Præn. nn. 8-9);


b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur;

c) oratio universalis omittitur, cum in Litaniis locum iam habuerit.

CONSECRATIO VIRGINUM

Virginum advocatio

13. Dicto evangelio, Episcopus, si virginum consecratio fit ante altare, accedit ad sedem ibi paratam et sedet. Interim schola cantat hanc vel aliam aptam antiphonam:




Prudéntes vírgines, aptá-te lámpades vestras: ecce sponsus



ve-nit, exí-te óbvi- am e- i.

Tum virgines consecrandæ faces seu cereos accendunt et, comitantibus prædictis virginibus iam Deo sacratis vel laicis mulieribus, ad presbyterium accedunt et extra ipsum consistunt.

14. Deinde Episcopus virgines vocat, cantans aut clara voce dicens:




Vení- te, fí-li- æ, audí-te me, timórem Dómini docébo vos.

Virgines autem respondent canentes hanc antiphonam:




Et nunc séquimur in toto corde, timémus te, et quǽ-rimus



fáci- em tu-am vi- dére; Dómine, ne confúndas nos, sed fac



nobis iuxta mansu- etú- dinem tu- am et secúndum multi-túdi-



nem mi-se-ricórdi- æ tu-æ.

Quam canentes, ascendunt in presbyterium ibique ita se disponunt ut ritus ab omnibus facile conspici possit. Deinde cereos in apto candelabro collocant aut ministris tradunt, ab eis in fine Missæ recipiendos, et in scamnis sibi paratis sedent.

15. Altera virgines vocandi ratio, præsertim cum cerei non adhibentur, describitur nn. 138-139.

Homilia seu allocutio

16. Tunc Episcopus virgines consecrandas et populum breviter alloquitur de virginitatis dono ac munere in electarum sanctificationem totiusque Ecclesiæ bonum. Quod facere potest his verbis:

Hæ soróres, quæ hódie, fratres dilectíssimi, ab Ecclésia Matre virginálem accípiunt consecratiónem, a pópulo sancto Dei, a vestris famíliis provéniunt: vestræ fíliæ sunt aut soróres aut propínquæ, consuetúdine aut necessitáte vobíscum útique coniúnctæ.

Dóminus eas vocávit, quas árctius sibi iúngeret et Ecclésiæ cunctorúmque hóminum servítio dicáret. Eárum consecrátio enim eas impéllit ut, pro suo quæque statu, Regno Dei dilatándo et órdini rerum temporálium spíritu christiáno informándo ardéntius stúdeant. Spectétis ígitur quid boni istæ perfectúræ sint et quam copiosas benedictiónes in sanctam Ecclésiam, in hóminum societátem vestrásque famílias, précibus et opéribus, ex Deo possint elícere.

Nunc autem ad vos lóquimur, fíliæ dilectíssimæ, vosque adhortámur afféctu pótius quam potestáte impúlsi. Virginális vitæ, quam sectámini, cælum pátria est; fons ipse Deus; ex Deo enim, tamquam ex puríssimo atque incorruptíbili fonte, hoc donum in quasdam fílias manat, quæ, propter virginálem integritátem antíquis Ecclésiæ Pátribus divínæ æternǽque incorruptibilitátis imágines visæ sunt.

Ubi venit témporum plenitúdo, omnípotens Pater, in domínicæ Incarnatiónis mystério, quantum virginitátem dilígeret osténdit: Vírginem enim elégit, cuius in puríssimo grémio, Sancti Spíritus operánte virtúte, Verbum caro fíeret humanáque natúra cum divína, sponsáli fœ́dere, coniungerétur.

Divínus Magíster virginitátis celebrávit excelléntiam, Deo dicátæ, propter regnum cælórum. Ipse autem tota vita, sed præsértim labóribus, prædicatióne ac potíssimum Paschāli Mystério Ecclésiam cóndidit, quam Vírginem, Sponsam, Matrem esse vóluit: Vírginem propter fídei integritátem; Sponsam propter indissolúbile cum Christo coniúgium; Matrem propter filiórum multitúdinem.

Paráclitus autem Spíritus, qui genitáli Baptísmatis unda péctora vestra Altíssimi templa effécit, hódie, per nostrum ministérium, nova vos spiritáli unctióne exórnat novóque título divínæ dicat Maiestáti; itémque vos, ad sponsæ Christi dignitátem provéctas, indissolúbili vínculo Dei Fílio coniúngit.

Sanctis Pátribus Ecclesiǽque Doctóribus sollémne fuit título Sponsæ Christi, quo Ecclésia vocátur, vos quoque appelláre. Vos enim futúrum Dei regnum, ubi neque nubent neque nubéntur, prænuntiántes, signum maniféstum illíus magni exsístitis sacraménti, quod, cum in humáni géneris primórdiis nuntiátum esset, sponsáli Christi cum Ecclésia connúbio perféctum est.

Vestra cum vocatióne vestráque cum dignitáte, fíliæ dilectíssimæ, tota vita consentíte. Sancta Mater Ecclésia illustriórem gregis Christi portiónem vos habet, per quas gloriósa eius fecúnditas gaudet atque lárgiter floret. Vos autem, Dei Matrem imitántes, ancíllæ Dómini et esse et appellári optétis. Integram serváte fidem, firmam spem custodíte sincerámque álite caritátem. Estóte prudéntes atque vigiláte ne magnum virginitátis bonum supérbia corrumpátur. Sacráta Deo péctora Christi Córpore refícite, ieiúniis roboráte, divíni verbi stúdio, assídua prece misericordiǽque opéribus fovéte. Quæ Dómini sunt cogitáte; vita vestra abscóndita sit cum Christo in Deo. Cordi vobis sit pro christiánæ fídei propagatióne et christianórum unitáte Deum instánter exoráre. Sollícitas pro coniúgibus preces Dómino effúndite. Meminéritis étiam eórum qui, patérnæ bonitátis oblíti, amóre defecérunt, ut miséricors Deus salvet cleméntia quos non potest salváre iustítia.

Recordémini autem vos Ecclésiæ servítio cunctorúmque fratrum mancipári. Exercéntes autem apostolátum vestrum tam in Ecclésia quam in mundo, tam in órdine spirituáli quam in órdine temporáli, sic lúceat lux vestra coram homínibus

ut cæléstis Pater glorificétur eiúsque perficiátur consílium quod vult in Christo ómnia instauráre. Omnes amáte, egénos potíssimum dilígite. Pro víribus subveníte paupéribus, infírmos curáte, docéte indóctos, párvulos protégite, senes subleváte, víduas afflictósque confortáte.

Vos, propter Christum innúptæ, spíritu matres fiétis, voluntátem Patris adimpléntes et caritáte cooperántes ut innúmeri fílii vitæ grátiæ pariántur aut restituántur.

Christus, Vírginis fílius ac vírginum sponsus, iam nunc in terris vestrum gáudium erit vestráque coróna, dum indúcat vos in cæléstem thálamum atque in regnum suum, ubi cánticum novum canéntes, ipsum divínum Agnum, quocúmque ibit, sequémini.

Interrogationes

17. Expleta homilia, virgines surgunt; tunc Episcopus eas interrogat, his vel similibus verbis:

Vultis in sanctæ virginitátis propósito
ac Dómini Ecclesiǽque servítio
ad extrémum vitæ perseveráre?

Virgines omnes simul respondent:

Volo.

Episcopus:

Vultis Christi sequélam in Evangélio propósitam
ita amplécti ut vita vestra
peculiáre prǽbeat testimónium caritátis
atque futúri Regni signum exsistat manifestum?

Virgines:

Volo.

Episcopus:

Vultis consecrári,
ac Dómino nostro Iesu Christo,
summo Dei Fílio,
sollémniter desponsári?

Virgines:

Volo.

Episcopus et omnes respondent:


Deo grátias!

Supplicatio litanica

18. Deinde omnes surgunt; Episcopus stans, manibus iunctis, dicit conversus ad populum:




Orémus De-um Patrem omnipoténtem per Fí-li- um su- um




Dóminum nostrum, ut, be-átæ Marí- æ semper Vírginis om-



ni- úmque Sanctórum interveni- énte suffrá-gi- o, super has




fámu-las, quas sibi sacrándas e-lé-git, Sancti Spí-ri-tus rorem



afflu-énter emíttat.

19. Diaconus admonet:



Flectámus génu- a.

Mox Episcopus, ministri, virgines consecrandæ populusque genua flectunt. Consuetudo autem ut virgines consecrandæ se prosternant, sicubi viget, servari potest.

20. Tunc cantores Litanias consecrationis virginum canunt, omnibus respondentibus. His Litaniis, apto loco, inseri possunt invocationes eorum Sanctorum, qui a populo peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliæ addi petitiones.

Sanctorum cognomina, inter uncas posita, opportune omittuntur quando Litaniæ lingua latina cantantur.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María,	ora pro nobis.
Sancta Dei Génetrix,	ora pro nobis.
Sancta Virgo vírginum,	ora pro nobis.
Sancte Míchael,	ora pro nobis.
Sancti Angeli Dei,	oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro nobis.
Sancte Ioseph,	ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis.
Sancti Stéphane et Laurénti,	oráte pro nobis.
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis.
Sancta Agnes,	ora pro nobis.
Sancta María (Goretti),	ora pro nobis.
Sancte Athanási,	ora pro nobis.
Sancte Ambrósi,	ora pro nobis.

Sancte Augustíne,	ora pro nobis.
Sancte Hierónyme,	ora pro nobis.
Sancte Benedícte,	ora pro nobis.
Sancti Domínice et Francísce,	oráte pro nobis.
Sancta Macrína,	ora pro nobis.
Sancta Scholástica,	ora pro nobis.
Sanctæ Clara et Catharína,	oráte pro nobis.
Sancta Terésia (de Avila),	ora pro nobis.
Sancta Rosa (de Lima),	ora pro nobis.
Sancta Ludovíca (de Marillac),	ora pro nobis.
Sancta Margaríta María (Alacoque),	ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis.
Propítius esto,	líbera nos, Dómine.
Ab omni malo,	líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto,	líbera nos, Dómine.
A morte perpétua,	líbera nos, Dómine.
Per incarnatiónem tuam,	líbera nos, Dómine.
Per mortem et resurrectiónem tuam,	líbera nos, Dómine.
Per effusiónem Spíritus Sancti,	líbera nos, Dómine.
Peccatóres,	te rogámus, audi nos.
Ut fámulum tuum Papam nostrum N. ceterósque Epíscopos Christo, Ecclésiæ Sponso, in dies conformáre dignéris,	te rogámus, audi nos.
Ut beátæ virginitátis flammam in Ecclésia tua conserváre et augére dignéris,	te rogámus, audi nos.
Ut in cunctis Christi fidélibus futúræ resurrectiónis et ventúri sǽculi spem confirmáre dignéris,	te rogámus, audi nos.
Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris,	te rogámus, audi nos.

Ut cœtum eórum,
qui evangélica sectántur consília,
méritis et número amplificáre
dignéris, te rogámus, audi nos.


Ut harum vírginum paréntes
cæléstibus donis locupletáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut has ancíllas tuas benedícere
et sanctificáre
et consecráre dignéris. te rogámus, audi nos.


Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos.

Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

21. Deinde Episcopus tantum surgit atque, iunctis manibus, dicit:




Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces supplicántis Ecclési- æ




et mise-rére his fámu-lis tu- is, quas benígna cleménti- a vo-



cásti: in vi- am dí-ri-ge sa-lú-tis ætérnæ ut, quæ tibi sunt




plá-cita, cúpi- ant et vi-gi-lánti cura perfí-ci- ant. Per Christum




Dóminum nostrum.

Omnes:



Diaconus:



Et omnes surgunt.

Castitatis propositi renovatio

22. Tunc, si opportunum videtur, virgines oblationem propositi sui Deo, per manus Episcopi, offerunt, ex. gr. hoc modo: virgines ad Episcopum singulæ accedunt et genua flectunt; dein manus iunctas inter ambas Episcopi manus ponunt ac dicunt:


Accipe, Pater,
perféctæ castitátis
et Christi sequélæ propósitum,
quod, auxiliánte Dómino,
coram te profíteor
et pópulo sancto Dei.

23. Alius congruens ritus, secundum loci consuetudinem, manuum immissioni substitui potest. Si autem virgines consecrandæ sunt complures, Episcopus permittere potest ut omnes, suis locis, flexis genibus, simul dicant:


Accipe, Pater,
perféctæ castitátis
et Christi sequélæ propósitum,
quod, auxiliánte Dómino,
coram te profitémur
et pópulo sancto Dei.

Sollemnis prex consecrationis


24. Proposito renovato, virgines ad locum in presbyterio sibi assignatum revertuntur et genua flectunt. Deinde Episcopus, extensis manibus ante pectus, dicit precem consecrationis, in qua verba inter uncos posita omitti possunt:




De- us, castórum córporum benígnus habitá-tor, et incorrup-



tárum, De- us, amátor animárum; De- us, qui humánam sub-




stánti- am, in primis homínibus di- abó-lica fraude vi- ti- átam,



i-ta in Verbo tu-o, per quod ómni- a facta sunt, répa-ras,




ut e- am non solum ad primæ o-rí-ginis innocénti- am révo-




ces, sed ét-i- am ad expe-ri-énti- am quorúndam bonórum, quæ




novo in sǽculo sunt habénda, perdúcas; et obstríctos adhuc




condi-ci- óne mortá-li- um, iam ad simi- li-túdinem próvehas




Ange-lórum. Réspice, Dómine, super has fámulas tu-as, quæ




in manu tu-a continénti-æ suæ propósi-tum collocántes, e- i




devo-ti-ónem su-am ófferunt, a quo ipsa vo-ta sumpsérunt.



(Quómodo enim ánimus, mortá-li carne circúmda-tus, legem




natúræ, libertátem li-cénti- æ, vim consu-etú-dinis et stímu-



los ætá-tis evínce-ret, ni-si tu hanc flammam cleménter accén-



deres, tu hanc cupídinem benígnus ále-res, tu forti-túdinem



mi-nistráres?) Effú-sa namque in omnes gentes grá-ti- a tu-a,



ex omni na-ti-óne quæ sub cælo est, in stellárum innume-

rábi-lem núme-rum novi testaménti herédibus adoptá-tis, in-

ter cé-teras virtútes, quas fí- li- is tu- is non ex sanguínibus,

neque ex voluntá-te carnis, sed de tu-o Spí-ritu géni- tis indi-

dísti, ét-i- am hoc donum in quasdam mentes de largi-tá-tis

tu- æ fonte deflúxit, ut, cum honórem nupti- árum nulla in-


terdícta minu- íssent ac super sanctum coniúgi- um ini- ti- á-


lis benedícti- o permanéret, exsísterent tamen ánimæ, quæ,


tu-æ Providénti-æ consí-li- o, casto renunti- árent connúbi- o


at e--ius concupíscerent sacraméntum, nec imi-taréntur quod



núpti- is ági-tur, sed di- líge-rent quod núpti- is præno-tátur.



(Agnóvit auctórem su-um be- áta virgíni- tas, et, ǽmula inte-



gri-tá-tis angé-licæ, illí- us thá-lamo, illí- us cubícu-lo se de-



vóvit, qui sic perpétu-æ virgi-ni-tá-tis est Sponsus, quemád-



modum perpétu-æ virgini-tá-tis est Fí- li- us.) Implorántibus


ergo auxí- li- um tu-um, Dómine, et confirmá-ri se benedic-



ti- ónis tu-æ consecra-ti- óne cupi- éntibus, da protecti- ónis


tu-æ munímen et régimen, ne hostis antíquus, qui excellen-



ti- óra stúdi- a subti-li- óribus inféstat insídi- is, ad obscurán-



dam perféctæ continénti-æ palmam, per á-liquam serpat men-



tis incú-ri- am, et rápi- at de propósi-to vírginum, quod ét-




i- am mó-ribus decet inésse nuptárum. Sit in e- is, Dómine,




per donum Spí-ri-tus tu- i, prudens modésti- a, sápi- ens be-




nígni-tas, gravis léni-tas, casta libértas; in ca-ri-tá-te férve- ant




et nihil extra te dí- ligant; laudabí-li-ter vivant, lauda-ríque



non áppetant; te in sancti-tá-te córpo-ris, te in ánimi puri-




tá-te glo-rí-fi-cent; amó-re te tíme- ant, amóre ti-bi sérvi- ant.




Tu e- is honor sis, tu gáudi- um, tu volúntas, tu in mæróre
















Omnes:



Deus, castórum córporum benígnus habitátor,
et incorruptárum, Deus, amátor animárum;
Deus, qui humánam substántiam,
in primis homínibus diabólica fraude vitiátam,

ita in Verbo tuo, per quod ómnia facta sunt, réparas,
ut eam non solum ad primæ oríginis innocéntiam révoces,
sed étiam ad experiéntiam quorúndam bonórum,
quæ novo in sǽculo sunt habénda, perdúcas;
et obstríctos adhuc condicióne mortálium,
iam ad similitúdinem próvehas Angelórum.

Réspice, Dómine, super has fámulas tuas,
quæ, in manu tua
continéntiæ suæ propósitum collocántes,
ei devotiónem suam ófferunt,
a quo ipsa vota sumpsérunt.

(Quómodo enim ánimus, mortáli carne circúmdatus,
legem natúræ,
libertátem licéntiæ,
vim consuetúdinis et stímulos ætátis evínceret,
nisi tu hanc flammam cleménter accénderes,
tu hanc cupídinem benígnus áleres,
tu fortitúdinem ministráres?)

Effúsa namque in omnes gentes grátia tua,
ex omni natióne quæ sub cælo est,
in stellárum innumerábilem númerum
novi testaménti herédibus adoptátis,
inter céteras virtútes, quas fíliis tuis
non ex sanguínibus neque ex voluntáte carnis,
sed de tuo Spíritu génitis indidísti,
étiam hoc donum in quasdam mentes
de largitátis tuæ fonte deflúxit,
ut, cum honórem nuptiárum nulla interdícta minuíssent
ac super sanctum coniúgium
initiális benedíctio permanéret,
exsísterent tamen ánimæ,
quæ, tuæ Providéntiæ consílio,
casto renuntiárent connúbio
at eius concupíscerent sacraméntum,

nec imitaréntur quod núptiis ágitur,
sed dilígerent quod núptiis prænotátur.
(Agnóvit auctórem suum beáta virgínitas,
et, ǽmula integritátis angélicæ,
illíus thálamo, illíus cubículo se devóvit,
qui sic perpétuæ virginitátis est Sponsus,
quemádmodum perpétuæ virginitátis est Fílius.)
Implorántibus ergo auxílium tuum, Dómine,
et confirmári se
benedictiónis tuæ consecratióne cupiéntibus,
da protectiónis tuæ munímen et régimen,
ne hostis antíquus,
qui excellentióra stúdia subtilióribus inféstat insídiis,
ad obscurándam perféctæ continéntiæ palmam,
per áliquam serpat mentis incúriam,
et rápiat de propósito vírginum,
quod étiam móribus decet inésse nuptárum.
Sit in eis, Dómine, per donum Spíritus tui,
prudens modéstia,
sápiens benígnitas,
gravis lénitas,
casta libértas;
in caritáte férveant
et nihil extra te díligant;
laudabíliter vivant
laudaríque non áppetant;
te in sanctitáte córporis,
te in ánimi puritáte gloríficent;
amóre te tímeant,
amóre tibi sérviant.
Tu eis honor sis, tu gáudium, tu volúntas,
tu in mæróre solácium,
tu in ambiguitáte consílium,
tu in iniúria defénsio,

in tribulatióne patiéntia,
in paupertáte abundántia,
in ieiúnio cibus,
in infirmitáte medicína.
In te hábeant ómnia,
quem elegére super ómnia.
Per Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Insignium consecrationis traditio

25. Expleta consecrationis prece, Episcopus et populus sedent; virgines autem surgunt et, comitantibus prædictis virginibus iam Deo sacratis aut laicis mulieribus, ad Episcopum accedunt qui, semel pro omnibus, dicit:

Accípite, fíliæ caríssimæ,
velámen et ánulum,
vestræ consecratiónis insígnia;
et fidem Sponso vestro intáctam serváte,
nec umquam obliviscámini
vos Christi servítio mancipári
et Córpori eius, quod est Ecclésia.


Virgines omnes simul respondent:
Amen.

26. Aut si velamen non traditur, Episcopus dicit semel pro omnibus:


Accípite ánulum
sacri cum Christo connúbii
et fidem Sponso vestro intáctam serváte
ut ad ætérni gáudii núptias
admítti mereámini.

Virgines omnes simul respondent:
Amen.

27. Dein unicuique virgini genuflexæ Episcopus tradit anulum et, si casus fert, velamen aliave consecrationis insignia. Interea schola, una cum populo, cantat hanc antiphonam:



Ad te, Dómine, levávi ánimam me- am: veni, et é-ri-



pe me, Dómine, ad te confúgi. E u o u a e.

cum Psalmo 44, aut alium congruentem cantum.

Psalmus 44

2. Eructávit cor meum verbum bonum,
dico ego ópera mea regi. *
Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis.
3. Speciósus forma es præ fíliis hóminum,
diffúsa est grátia in lábiis tuis, *
proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Repetitur antiphona, quod fit altero quoque versu.

4. Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime, *
splendóre tuo et ornátu tuo próspere procéde,
5. currum ascénde propter veritátem
et mansuetúdinem et iustítiam. *
Et sagittábit pro te mirabíliter déxtera tua:
6. sagíttæ tuæ acútæ
— pópuli sub te cadent — *
in corda inimicórum regis.
7. Sedes tua, Deus, in sǽculum sǽculi; *
sceptrum æquitátis sceptrum regni tui.
8. Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem,
proptérea unxit te Deus, Deus tuus, *
óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
9. Myrrha et áloë et cásia ómnia vestiménta tua, *
e dómibus ebúrneis chordæ delectavérunt te.

10. Fíliæ regum inter honorátas tuas; *
ástitit regína a dextris tuis ornáta auro ex Ophir.
11. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam, *
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;
12. et concupíscet rex spéciem tuam. *
Quóniam ipse est dóminus tuus et adóra eum.
13. Fíliæ Tyri cum munéribus; *
vultum tuum deprecabúntur dívites plebis.
14. Glorióa nimis fília regis intrínsecus, *
textúris áureis circumamícta.
15. In véstibus variegátis adducétur regi; *
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi.
16. Afferúntur in lætítia et exsultatióne, *
adducúntur in domum regis.
17. Pro pátribus tuis erunt tibi fílii; *
constítues eos príncipes super omnem terram.
18. Memor ero nóminis tui
in omni generatióne et generatióne; *
proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum,
et in sǽculum sǽculi.

In fine psalmi non dicitur Glória Patri, sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, interrumpitur psalmus et antiphona repetitur.

Aliæ antiphonæ proponuntur nn. 140-150.

28. Deinde, si opportunum videtur, Episcopus virginibus nuper sacratis librum orationis Ecclesiæ tradit, his vel similibus verbis:


Accípite librum oratiónis Ecclésiæ
ut cæléstis Patris laudes
sine intermissióne in ore résonent vestro
et pro totíus mundi intercedátis salúte.

Virgines omnes simul respondent:

Amen.

Et accedunt ad Episcopum, qui eis divini Officii librum tradit. Recepto libro, virgines ad locum suum redeunt ibique stant.

29. Dein, pro opportunitate, canitur hæc vel alia apta antiphona:



Ipsi sum desponsá-ta, cu- i Ange- li sérvi- unt, cu-ius pulchri-



túdinem sol et luna mi-rántur.

Quam, si fieri potest, virgines nuper sacratæ omnes simul canunt, secus schola.

30. Altera tradendi consecrationis insignia ratio describitur nn. 151-152.

31. Quibus expletis, virgines ad loca sibi in presbyterio designata revertuntur. Tum prosequitur Missa.

Liturgia eucharistica

32. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnullæ virgines nuper Deo sacratæ ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

33. In Precibus eucharisticis virginum oblatio secundum formulas, quæ in Appendice inveniuntur, opportune commemoratur.

34. Dicto Pax Dómini, Episcopus, modo convenienti, pacem dat virginibus nuper Deo sacratis.

35. Postquam Episcopus Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, virgines accedunt ad altare, Christi sacramentum sub utraque specie recepturæ.

Parentes quoque ceterique virginum propinqui, communionem sub utraque specie recipere possunt.

Dimissio

36. Oratione post communionem expleta, virgines nuper Deo sacratæ ante altare sistunt atque Episcopus, ad eas conversus, dicit:

Omnípotens Pater,
beátæ virginitátis propósitum,

quod pectóribus vestris infúdit,
sua protectióne inviolátum custódiat.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Dóminus Iesus,
qui sacrárum vírginum corda
sponsáli sibi fœ́dere iungit,
mentes vestras divíni séminis verbo fecúndet.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Spíritus Sanctus,
qui supervénit in Vírginem
quique corda vestra hódie suo sacrávit illápsu,
ad Dei Ecclesiǽque servítium vos veheménter accéndat.

Omnes:

Amen.

37. Denique universum populum benedicit:

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater ✠, et Fílius ✠, et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

Altera benedictionis formula n. 155.

38. Post Episcopi benedictionem, virgines, si casus fert, accipiunt cereos suos; schola autem cum populo concinit aptum hymnum vel canticum laudis et ordinatur processio sicut pro introitus ritu.

CAPUT II

DE CONSECRATIONE VIRGINUM PROFESSIONI MONIALIUM CONIUNCTA

39. Consecrationem virginum, professionis perpetuæ ritui coniunctam, fieri decet in octava Paschæ, in sollemnitatibus, præsertim in iis quæ ad dominicæ Incarnationis mysteria referuntur, in dominicis diebus, in festis beatæ Virginis Mariæ, sanctarum Virginum vel Sanctorum qui in vita religiosa eminuerunt.

40. Die constituta, consecrationis ritui proxima, vel saltem pridie, virgines consecrandæ præsentantur Episcopo ad pastorale colloquium instituendum inter filias et diœceseos Patrem.

41. Consecratio de more peragitur in ecclesia monasterii.

42. Fideles de die atque hora tempestive certiores fiant, quo frequentiores accurrere possint.

43. Dicitur Missa liturgiæ diei respondens aut Missa ritualis in die consecrationis virginum, iuxta rubricas (cf. Præn. nn. 8-10).

44. Virginum consecratio de more fit ad sedem; ad participationem autem fidelium expediendam sedes pro Episcopo ante altare opportune paretur. Opportuno presbyterii loco sedes paretur Antistitæ, virginum professionem recepturæ; item in presbyterio scamna pro virginibus sacrandis sic disponantur ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

45. Ut ritus natura postulat, tota actio liturgica celebretur congrua sollemnitate, at caveatur sumptuositas quæ paupertatem religiosam dedeceat.

46. Panis et vinum sacrandum, ea parentur copia, quæ sufficiat ministris, virginibus sacrandis earumque parentibus, propinquis, sodalibus. Ideoque, si unus adhibetur calix, congruentis sit capacitatis.

47. Præter ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur: a) Pontificale Romanum; b) velamina, anuli, aliave virginalis consecrationis aut religiosæ professionis insignia, secundum locorum præscripta vel familiæ religiosæ consuetudines.

Ritus introitus

48. Populo congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processio fit more solito eique laudabiliter intersunt virgines consecrandæ, Antistita et Magistra comitantibus.

49. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, virgines locis sibi in aula ecclesiæ designatis se disponunt; tum prosequitur Missa.

Liturgia verbi

50. In liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) lectiones vel e Missa diei vel e textibus, qui nn. 81-137 proponuntur sumi, possunt (cf. Præn. nn. 8-9);

b) Symbolum non dicitur, etiamsi rubricis liturgiæ diei præscribitur;

c) oratio universalis omittitur, cum in Litaniis locum iam habuerit.

Professio religiosa et consecratio virginalis

Virginum advocatio

51. Dicto evangelio, Episcopus, si virginum consecratio fit ante altare, accedit ad sedem ibi paratam et sedet. Interea schola cantat antiphonam hanc vel aliam aptam (pro cantu, cf. p. 11):

Prudéntes vírgines,
aptáte lámpades vestras:
ecce sponsus venit,
exíte óbviam ei.

Tum virgines consecrandæ faces seu cereos accendunt et, comitantibus Magistra aliaque moniali huic muneri deputata, ad presbyterium accedunt et extra ipsum consistunt.

52. Deinde Episcopus virgines vocat, cantans aut clara voce dicens (pro cantu, cf. p. 12):

Veníte, fíliæ,
audíte me,
timórem Dómini docébo vos.

Virgines autem respondent canentes hanc antiphonam (pro cantu, cf. p. 12):

Et nunc séquimur in toto corde,
timémus te,
et quǽrimus fáciem tuam vidére;
Dómine, ne confúndas nos,
sed fac nobis iuxta mansuetúdinem tuam
et secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ.

Quam canentes, ascendunt in presbyterium ibique ita se disponunt ut ritus ab omnibus facile conspici possit. Deinde cereos in apto candelabro collocant aut ministris tradunt, ab eis in fine Missæ recipiendos, et in scamnis sibi paratis sedent.

53. Altera virgines vocandi ratio, præsertim cum cerei non adhibentur, describitur nn. 138-139.

Homilia seu allocutio

54. Tunc Episcopus virgines consecrandas et populum breviter alloquitur, illustrans cum lectiones biblicas tum virginitatis donum ac vitæ religiosæ munus in electarum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.

Interrogationes

55. Expleta homilia, virgines surgunt; tunc Episcopus ex eis quærit num sint paratæ ad Deo se devovendas et perfectam sectandam caritatem, secundum Regulam vel Constitutiones suæ familiæ religiosæ. Quæstiones quæ hic ponuntur commutari aut ex parte omitti possunt pro uniuscuiusque familiæ religiosæ indole ac natura. Episcopus eas interrogat, his vel similibus verbis:

Fíliæ dilectíssimæ, iam per baptísmum
peccáto mórtuæ ac Dómino sacrátæ,
vultis, perpétuæ professiónis título,
árctius Deo coniúngi?

Virgines professuræ omnes simul respondent:
Volo.

Episcopus:
Vultis, Evangélium studióse sectántes
ac vestræ famíliæ Régulam custodiéntes,
ad perféctam caritátem erga Deum et próximum
constánter firmitérque conténdere?

Virgines:
Volo.

Episcopus:
Vultis in solitúdine ac siléntio
in assídua prece et álacri pæniténtia,
in húmili labóre sanctísque opéribus
soli Deo vacáre?

Virgines:
Volo.

Episcopus:
Vultis consecrári,
ac Dómino nostro Iesu Christo,
summo Dei Fílio,
sollémniter desponsári?

Virgines:
Volo.

56. Tunc Episcopus earum voluntatem confirmat, dicens hæc vel similia verba:

Qui incépit in vobis opus bonum,
ipse perfíciat in diem Christi Iesu.

Omnes:
Amen.

Supplicatio litanica

57. Deinde omnes surgunt; Episcopus stans, manibus iunctis, dicit conversus ad populum (pro cantu, cf. p. 16):

Orémus Deum Patrem omnipoténtem
per Fílium suum Dóminum nostrum,
ut, beátæ Maríæ semper Vírginis
omniúmque Sanctórum
interveniénte suffrágio,
super has fámulas, quas sibi sacrándas elégit,
Sancti Spíritus rorem
affluénter emíttat.

58. Diaconus admonet (pro cantu, cf. p. 17):

Flectámus génua.

Mox Episcopus, ministri, virgines consecrandæ populusque genua flectunt. Consuetudo autem ut virgines consecrandæ se prosternant, sicubi viget, servari potest.

59. Tunc cantores Litanias consecrationis virginum canunt, omnibus respondentibus. His Litaniis, apto loco, inseri possunt invocationes eorum Sanctorum, qui a familia religiosa vel a populo peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliæ addi petitiones.

Sanctorum cognomina, inter uncas posita, opportune omittuntur quando Litaniæ lingua latina cantantur.

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génetrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchael, ora pro nobis.

Sancti Angeli Dei, oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule, oráte pro nobis.
Sancte Ioánnes, ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancti Stéphane et Laurénti, oráte pro nobis.
Sanctæ Perpétua et Felícitas, oráte pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta María (Goretti), ora pro nobis.
Sancte Athanási, ora pro nobis.
Sancte Ambrósi, ora pro nobis.
Sancte Augustíne, ora pro nobis.
Sancte Hierónyme, ora pro nobis.
Sancte Benedícte, ora pro nobis.
Sancti Domínice et Francísce, oráte pro nobis.
Sancta Macrína, ora pro nobis.
Sancta Scholástica, ora pro nobis.
Sanctæ Clara et Catharína, oráte pro nobis.
Sancta Terésia (de Avila), ora pro nobis.
Sancta Rosa (de Lima), ora pro nobis.
Sancta Ludovíca (de Marillac), ora pro nobis.
Sancta Margaríta María (Alacoque), ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.
Propítius esto, líbera nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera nos, Dómine.
Per incarnatiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per mortem et resurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine.
Per effusiónem Spíritus Sancti, líbera nos, Dómine.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut fámulum tuum Papam nostrum N.
ceterósque Epíscopos

Christo, Ecclésiæ Sponso,
in dies conformáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut beátæ virginitátis flammam
in Ecclésia tua conserváre
et augére dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut in cunctis Christi fidélibus
futúræ resurrectiónis
et ventúri sǽculi spem
confirmáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut cunctis pópulis pacem
et veram concórdiam
donáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut cœtum eórum,
qui evangélica sectántur consília,
méritis et número amplificáre
dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut harum vírginum paréntes
pro múnere quod tibi obtulérunt
cæléstibus donis locupletáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut has ancíllas tuas benedícere
et sanctificáre
et consecráre dignéris. te rogámus, audi nos.

Iesu, Fili Dei vivi, te rogámus, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Christe, exáudi nos.

60. Deinde Episcopus tantum surgit atque, iunctis manibus, dicit (pro cantu, cf. p. 19):

Exáudi, quǽsumus, Dómine,
preces supplicántis Ecclésiæ
et miserére his fámulis tuis,

quas benígna providéntia vocásti:
in viam dírige salútis ætérnæ
ut, quæ tibi sunt plácita, cúpiant
et vigilánti cura perfíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Diaconus (pro cantu, cf. p. 20):

Leváte.


Et omnes surgunt.

61. Supplicatione litanica expleta, duæ virgines iam professæ, pro familiæ religiosæ consuetudine, ad sedem Antistitæ accedunt et, stantes, speciali testium munere funguntur. Virgines professuræ singulæ accedunt ad Antistitam et legunt professionis formulam, quam sua ipsarum manu opportune antea scripserunt.


Professio.

62. Deinde virgo professa laudabiliter ad altare se confert atque in illo schedulam professionis deponit; tum, si commode fieri potest, professionis instrumenta signat super ipso altari. Quo facto, redit ad locum sibi assignatum.

63. Quibus expletis, virgines nuper professæ, stantes, pro opportunitate, canunt hanc antiphonam vel alium cantum, qui modo lyrico sensum donationis et gaudii exprimat:



Súscipe me, Dómine, secúndum elóqui- um tu- um et vi- vam;



et non confúndas me ab exspecta-ti- óne me- a.

Sollemnis prex consecrationis

64. Deinde virgines genua flectunt et Episcopus, extensis manibus ante pectus, dicit precem consecrationis, in qua verba inter uncas posita omitti possunt (pro cantu, cf. p. 21):

Deus, castórum córporum benígnus habitátor,
et incorruptárum, Deus, amátor animárum;
Deus, qui humánam substántiam,
in primis homínibus diabólica fraude vitiátam,
ita in Verbo tuo, per quod ómnia facta sunt, réparas,
ut eam non solum ad primæ oríginis innocéntiam révoces,
sed étiam ad experiéntiam quorúndam bonórum,
quæ novo in sæculo sunt habénda, perdúcas;
et obstríctos adhuc condicióne mortálium,
iam ad similitúdinem próvehas Angelórum.
Réspice, Dómine, super has fámulas tuas,
quæ, in manu tua
continéntiæ suæ propósitum collocántes,
ei devotiónem suam ófferunt,
a quo ipsa vota sumpsérunt.
(Quómodo enim ánimus, mortáli carne circúmdatus,
legem natúræ,
libertátem licéntiæ,
vim consuetúdinis et stímulos ætátis evínceret,
nisi tu hanc flammam cleménter accénderes,
tu hanc cupídinem benígnus áleres,
tu fortitúdinem ministráres?)
Effúsa namque in omnes gentes grátia tua,
ex omni natióne quæ sub cælo est,
in stellárum innumerábilem númerum
novi testaménti herédibus adoptátis,
inter céteras virtútes, quas fíliis tuis
non ex sanguínibus neque ex voluntáte carnis,
sed de tuo Spíritu génitis indidísti,
étiam hoc donum in quasdam mentes

de largitátis tuæ fonte deflúxit,
ut, cum honórem nuptiárum nulla interdícta minuíssent
ac super sanctum coniúgium
initiális benedíctio permanéret,
exsísterent tamen ánimæ,
quæ, tuæ Providéntiæ consílio,
casto renuntiárent connúbio
at eius concupíscerent sacraméntum,
nec imitaréntur quod núptiis ágitur,
sed dilígerent quod núptiis prænotátur.
(Agnóvit auctórem suum beáta virgínitas,
et, ǽmula integritátis angélicæ,
illíus thálamo, illíus cubículo se devóvit,
qui sic perpétuæ virginitátis est Sponsus,
quemádmodum perpétuæ virginitátis est Fílius.)
Implorántibus ergo auxílium tuum, Dómine,
et confirmári se
benedictiónis tuæ consecratióne cupiéntibus,
da protectiónis tuæ munímen et régimen,
ne hostis antíquus,
qui excellentióra stúdia subtilióribus inféstat insídiis,
ad obscurándam perféctæ continéntiæ palmam,
per áliquam serpat mentis incúriam,
et rápiat de propósito vírginum,
quod étiam móribus decet inésse nuptárum.
Sit in eis, Dómine, per donum Spíritus tui,
prudens modéstia,
sápiens benígnitas,
gravis lénitas,
casta libértas;
in caritáte férveant
et nihil extra te díligant;
laudabíliter vivant
laudaríque non áppetant;

te in sanctitáte córporis,
te in ánimi puritáte gloríficent;
amóre te tímeant,
amóre tibi sérviant.
Tu eis honor sis, tu gáudium, tu volúntas,
tu in mæróre solácium,
tu in ambiguitáte consílium,
tu in iniúria defénsio,
in tribulatióne patiéntia,
in paupertáte abundántia,
in ieiúnio cibus,
in infirmitáte medicína.
In te hábeant ómnia,
quem elegére super ómnia.
Per Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Insignium consecrationis traditio

65. Expleta consecrationis prece, Episcopus et populus sedent; virgines autem surgunt et, comitantibus Magistra aliaque moniali huic muneri deputata, ad Episcopum accedunt qui, semel pro omnibus, dicit:

Accípite, fíliæ caríssimæ,
velámen et ánulum,
vestræ consecratiónis insígnia;
fidem Sponso vestro intáctam serváte,
nec umquam obliviscámini
vos Christi servítio mancipári
et Córpori eius, quod est Ecclésia.

Virgines omnes simul respondent:

Amen.

66. Aut si velamen non traditur, Episcopus dicit semel pro omnibus:

Accípite ánulum
sacri cum Christo connúbii
et fidem Sponso vestro serváte,
ut ad ætérni gáudii núptias
admítti mereámini.

Virgines omnes simul respondent:

Amen.

67. Dein unicuique virgini genuflexæ Episcopus tradit anulum et, si casus fert, velamen aliave consecrationis insignia. Interea schola, una cum populo, cantat hanc antiphonam (pro cantu, cf. p. 30):

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam:
veni, et éripe me, Dómine, ad te confúgi.

cum Psalmo 44, aut alium congruentem cantum.

Psalmus 44

2. Eructávit cor meum verbum bonum,
dico ego ópera mea regi.*
Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis.

3. Speciósus forma es præ fíliis hóminum,
diffúsa est grátia in lábiis tuis,*
proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Repetitur antiphona, quod fit altero quoque versu.

4. Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime, *
splendóre tuo et ornátu tuo próspere procéde,

5. currum ascénde propter veritátem
et mansuetúdinem et iustítiam. *
Et sagittábit pro te mirabíliter déxtera tua:

6. sagíttæ tuæ acútæ
— pópuli sub te cadent — *
in corda inimicórum regis.

7. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; *
sceptrum æquitátis sceptrum regni tui.

8. Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem,
proptérea unxit te Deus, Deus tuus, *
óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

9. Myrrha et áloë et cásia ómnia vestiménta tua, *
e dómibus ebúrneis chordæ delectavérunt te.

10. Fíliæ regum inter honorátas tuas; *
ástitit regína a dextris tuis ornáta auro ex Ophir.

11. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam, *
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;

12. et concupíscet rex spéciem tuam. *
Quóniam ipse est dóminus tuus et adóra eum.

13. Fíliæ Tyri cum munéribus: *
vultum tuum deprecabúntur dívites plebis.

14. Glorióša nimis fília regis intrínsecus, *
textúris áureis circumamícta.

15. In véstibus variegátis adducétur regi; *
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi.

16. Afferúntur in lætítia et exsultatióne, *
adducúntur in domum regis.

17. Pro pátribus tuis erunt tibi fílii; *
constítues eos príncipes super omnem terram.

18. Memor ero nóminis tui
in omni generatióne et generatióne; *
proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum,
et in sæculum sæculi.

In fine psalmi non dicitur Glória Patri, sed antiphona. Si contingit autem ut insignium traditio compleatur antequam psalmus integer decantatus sit, interrumpitur psalmus et antiphona repetitur.

Aliæ antiphonæ proponuntur nn. 140-150.

68. Deinde, si opportunum videtur, Episcopus virginibus nuper sacratis librum orationis Ecclesiæ tradit, his vel similibus verbis:

Accípite librum oratiónis Ecclésiæ
ut cæléstis Patris laudes
sine intermissióne in ore résonent vestro
et pro totíus mundi intercedátis salúte.

Virgines omnes simul respondent:

Amen.

Et accedunt ad Episcopum, qui eis divini Officii librum tradit. Recepto libro, virgines ad locum suum redeunt ibique stant.

69. Dein, pro opportunitate, canitur hæc vel alia apta antiphona (pro cantu, cf. p. 32):

Ipsi sum desponsáta,
cui Angeli sérviunt,
cuius pulchritúdinem
sol et luna mirántur.

Quam, si fieri potest, virgines nuper sacratæ omnes simul canunt, secus schola.

70. His expletis, ubi mos viget vel opportunum videtur, significari potest moniales nuper professas in perpetuum familiæ religiosæ esse aggregatas vel aptis verbis ab Antistita prolatis vel osculo pacis, ex. gr.:

a) Antistita hæc vel similia verba profert:

Confirmámus vobis
partem et societátem huius famíliæ N.
ut ómnia commúnia nobíscum habeátis.

Et omnes illius familiæ religiosæ sodales assentiunt dicentes:

Amen.

b) Vel, his omissis, Episcopus pacem dat. Antistita fraternam dilectionem monialibus nuper sacratis significat osculo pacis vel alio modo, secundum familiæ religiosæ vel monasterii consuetudinem. Interea schola, una cum populo, cantat antiphonam:

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!
concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

cum Psalmo 83, vel alium congruentem cantum.

Osculum autem pacis, si hic datur, ante communionem omittitur.

71. Altera tradendi consecrationis insignia ratio discribitur nn. 151-154.

72. Quibus expletis, virgines ad loca sibi in presbyterio designata revertuntur. Tum prosequitur Missa.

Liturgia eucharistica

73. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnullæ virgines nuper Deo sacratæ ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Sacrificio eucharistico.

74. In Precibus eucharisticis virginum oblatio secundum formulas, quæ in Appendice inveniuntur, opportune commemoratur.

75. Si osculum pacis datum non est (cf. n. 70), Episcopus modo convenienti, pacem dat virginibus nuper Deo sacratis.

76. Postquam Episcopus Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, virgines accedunt ad altare, Christi sacramentum sub utraque specie recepturæ.

Post eas, parentes, propinqui, sodales eodem modo Eucharistiam sumere possunt.

Dimissio

77. Oratione post communionem expleta, virgines nuper Deo sacratæ ante altare sistunt atque Episcopus, ad eas conversus, dicit:

Omnípotens Pater,
beátæ virginitátis propósitum,
quod pectóribus vestris infúdit,
sua protectióne inviolátum custódiat.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Dóminus Iesus,
qui sacrárum vírginum corda
sponsáli sibi fœdere iungit,
mentes vestras divíni séminis verbo fecúndet.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Spíritus Sanctus,
qui supervénit in Vírginem
quique corda vestra hódie suo sacrávit illápsu,
ad Dei Ecclesiǽque servítium vos veheménter accéndat.

Omnes:

Amen.

78. Denique universum populum benedicit:

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater ✠, et Fílius ✠, et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

79. Altera benedictionis formula n. 155.

80. Post Episcopi benedictionem, virgines, si casus fert, accipiunt cereos suos; schola autem cum populo concinit aptum hymnum vel canticum laudis et ordinatur processio sicut pro introitus ritu.

CAPUT III

ALII TEXTUS IN CONSECRATIONE VIRGINUM ADHIBENDI

I. LECTIONES BIBLICÆ

LECTIONES E VETERE TESTAMENTO

81. Gen 12, 1-4a: « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et veni ».
In diebus illis: Dixit Dominus ad Abram ... 4 usque ad Dominus.

82. 1 Sam 3, 1-10: « Loquere, Domine, quia audit servus tuus ».
In diebus illis: Puer Samuel ministrabat Domino ...

83. 1 Reg 19, 4-9a. 11-15a: « Sta in monte coram Domino ».
In diebus illis: Perrexit Elias in desertum ... 9 usque ad in spelunca. 15 usque ad in Damascum.

84. 1 Reg 19, 16b. 19-21: « Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam ».
In diebus illis: Dixit Dominus ad Eliam: Eliseum, filium Saphat ...

85. Cant. 2, 8-14: « Surge, amica mea, et veni ».
Vox dilecti mei ...

86. Cant. 8, 6-7: « Fortis est ut mors dilectio ».
Pone me ut signaculum ...

87. Is 44, 1-5: « Dicet: Domini ego sum ».
Et nunc audi, Iacob, serve meus ...

88. Is 61, 9-11: « Gaudens gaudebo in Domino ».
Scient in gentibus semen populi mei ...

89. Ier 31, 31-37: « Fœdus novum ».
Ecce dies venient, dicit Dominus ...

90. Os 2, 14. 19-20 (Hebr 16. 21-22): « Sponsabo te mihi in sempiternum ».
Hæc dicit Dominus: Ecce ego lactabo eam ...
Versus 14 interpretari debet secundum hebraicam veritatem.

LECTIONES E NOVO TESTAMENTO

91. Act 2, 42-47: « Omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia ».
Erant perseverantes in doctrina apostolorum ...

92. Act 4, 32-35: « Cor unum et anima una ».
Multitudinis credentium erat cor unum ...

93. Rom 6, 3-11: « In novitate vitæ ambulemus ».
Fratres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu ...

94. Rom 12, 1-13: « Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ».
Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei ...

95. 1 Cor 1, 22-31: « Verbum crucis pereuntibus stultitia est; nobis, Dei virtus est ».
Fratres: Iudæi signa petunt ...

96. 1 Cor 7, 25-35: « Virgo cogitat quæ Domini sunt ».
Fratres: De virginibus præceptum Domini non habeo ...

97. Eph 1, 3-14: « Elegit nos Deus in Christo ut essemus sancti et immaculati in caritate ».
Fratres: Benedictus Deus et Pater Domini Iesu Christi ...

98. Phil 2, 1-4: « Idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes ».
Fratres: Si qua consolatio in Christo ...

99. Phil 3, 8-14: « Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam ».
Fratres: Verumtamen existimo omnia ...

100. Col 3, 1-4: « Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram ».
Fratres: Si consurrexistis cum Christo ...

101. Col 3, 12-17: « Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».
Fratres: Induite vos sicut electi Dei ...

102. 1 Thess 4, 1-3a. 7-12: « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra ».
Fratres, rogamus vos ... 3 usque ad sanctificatio vestra.

103. 1 Petr 1, 3-9: « Cum Iesum Christum non videritis, diligitis ».
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

104. 1 Ioan 4, 7-16: « Si diligamus invicem, Deus in nobis manet ».
Carissimi, diligamus nos invicem ...

105. Apoc 3, 14b. 20-22: « Cenabo cum illo et ipse mecum ».
Hæc dicit Amen ...

106. Apoc 22, 12-14. 16-17. 20: « Veni, Domine Iesu! ».
Ego, Ioannes, audivi vocem dicentem mihi: Ecce venio cito ...

Psalmi responsorii

107. Ps 23, 1-2, 3-4ab, 5-6.
℟. (6): Hæc est generatio quærentium faciem tuam, Domine.

108. Ps 26, 1, 4, 5, 8b-9abc, 9d et 11.
℟. (8b): Faciem tuam, Domine, quæro.

109. Ps 32, 2-3, 4-5, 11-12, 13-14, 18-19, 20-21.
℟. (12b): Beatus populus quem elegit Dominus in hereditatem suam.

110. Ps 33, 2-3, 4-5, 6-7, 8-9.
vel 10-11, 12-13, 14-15, 17 et 9.
℟. (2a): Benedicam Dominum in omni tempore.
vel (9a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

111. Ps 39, 2 et 4ab, 7-8a, 8b-9, 10, 12.
℟. (8a et 9a): Ecce venio, Domine, ut faciam voluntatem tuam.

112. Ps 44, 11-12, 14-15, 16-17.
℟. (Mt 25, 6): Ecce sponsus venit: exite obviam Christo Domino.

113. Ps 62, 2, 3-4, 5-6, 8-9.
℟. (2b): Sitit in te anima mea, Domine, Deus meus.

114. Ps 83, 3, 4, 5-6a et 8a, 11, 12.
℟. (2): Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

115. Ps 99, 2, 3, 4, 5.
℟. (2c): Introite in conspectu Domini, in exsultatione.

Alleluia et Versus ante Evangelium

116. Ps 132, 1: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!

117. Mt 11, 25: Benedictus es, Pater, Domine cæli et terræ, quia mysteria regni parvulis revelasti.

118. Ioan 13, 34: Mandatum novum do vobis, dicit Dominus, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

119. Ioan 15, 5: Ego sum vitis, vos palmites, dicit Dominus; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.

120. 2 Cor 8, 9: Iesus Christus egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

121. Gal 6, 14: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

122. Phil 3, 8-9: Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo.

Evangelia

123. Mt 11, 25-30: « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis ».

In illo tempore: Respondens Iesus dixit ...

124. Mt 16, 24-27: « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis ...

125. Mt 19, 3-12: « Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum ».

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum pharisæi ...

126. Mt 19, 16-26: « Si vis perfectus esse, vende quæ habes et sequere me ».

In illo tempore: Ecce unus accedens ad Iesum ait illi ...

127. Mt 25, 1-13: « Ecce sponsus venit: exite obviam ei ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus ...

128. Mc 3, 31-35: « Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ».
In illo tempore: Veniunt mater Iesu et fratres ...

129. Mc 10, 24b-30: « Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te ».
In illo tempore: Ait Iesus discipulis suis: Filioli ...

130. Lc 1, 26-38: « Ecce ancilla Domini ».
In illo tempore: Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ ...

131. Lc 9, 57-62: « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei ».
In illo tempore: Ambulantibus Iesu et discipulis suis in via ...

132. Lc 10, 38-42: « Martha excepit illum in domum suam. Maria optimam partem elegit ».
In illo tempore: Intravit Iesus in quoddam castellum ...

133. Lc 11, 27-28: « Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ».
In illo tempore: Extollens vocem quædam mulier ...

134. Ioan 12, 24-26: « Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis ...

135. Ioan 15, 1-8: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera ...

136. Ioan 15, 9-17: « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater ...

137. Ioan 17, 20-26: « Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum ».
In illo tempore: [Sublevatis Iesus oculis in cælum, oravit dicens: Pater sancte,] non pro eis rogo tantum ...

II. Altera vocandi virgines ratio

138. Si virginum consecratio fit ante altare, Episcopus accedit ad sedem ibi paratam et sedet. Diaconus autem singulas virgines vocat nominatim. Unaquæque virgo, suo nomine audito, surgit et respondet:

Ecce, Dómine, vocásti me

vel alio apto modo. Dein accedit ad presbyterium et extra ipsum consistit.

139. Appellatione expleta, Episcopus omnes eas invitat his vel similibus verbis:

Veníte, fíliæ,
ut cordis vestri propósitum
per humilitátis nostræ ministérium
Dóminus consecráre dignétur.

Virgines vero respondent canentes hanc antiphonam (pro cantu, cf. p. 12) vel alium aptum cantum:

Et nunc séquimur in toto corde,
timémus te,
et quǽrimus fáciem tuam vidére;
Dómine, ne confúndas nos,
sed fac nobis iuxta mansuetúdinem tuam
et secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ.

Et hanc antiphonam canentes, comitantibus prædictis virginibus iam Deo sacratis vel laicis mulieribus, ascendunt in presbyterium ibique se disponunt ut ritus ab omnibus facile conspici possit.

III. Aliæ antiphonæ in traditione insignium canendæ

140. Adducéntur vírgines in templum Regis (cf. Ps 44, 15-16).

141. Audi, fília: Concupíscet Rex decórem tuum (Ps 44, 11-12).

142. Sitívit in te ánima mea (Ps 62, 2).

143. Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum (Ps 83, 3).

144. Mihi adhærére Deo bonum est (Ps 72, 28).

145. Quæsívi quem díligit ánima mea (Cant 3, 1).

146. Diléctus meus mihi, et ego illi (Cant 2, 16).

147. Osténde mihi fáciem tuam,
sonet vox tua in áuribus meis (Cant 2, 14).

148. Veni, sponsa mea; veni, coronáberis (Cant 4, 8).

149. Ducam eam in solitúdinem et loquar ad cor eius (Os 2, 14).

150. Qui adhæret Dómino unus spíritus est (1 Cor 4, 17).

IV. Altera tradendi consecrationis insignia ratio


151. (Pro veli impositione, quæ omittitur si virgines velum canonice iam receperunt). Expleta consecrationis prece, Episcopus et populus sedent; virgines autem surgunt et, comitantibus prædictis religiosis aut laicis mulieribus, ad Episcopum accedunt, qui unicuique imponit velum, dicens:

Accipe velum sacrum,
ut inter réliquas féminas
cognoscáris Christi servítio dicáta
et Córpori eius, quod est Ecclésia.


Et virgo respondet:

Amen.

Et, recepto velo, ad locum suum redit ibique stat. Postquam omnes velum receperunt, virgines canunt antiphonam:



Co-gi-tábo, Dómine, quæ tu- a sunt ut sancta sim cór-



pore et spí-ri-tu. E u o u a e.

Iusta tamen de causa schola, postquam prima vel secunda velum recepit, pro virginibus canit antiphonam Cogitábo, quam iterare

potest post cantum unius vel plurium versiculorum congruentis psalmi vel cantici.

152. (Pro anuli traditione) Omnibus virginibus velatis, traduntur anuli hoc modo: virgines accedunt ad Episcopum, eodem ordine quo antea. Tunc Episcopus unicuique virgini anulum tradit, dicens:

Accipe ánulum
sacri cum Christo connúbii
et fidem Sponso tuo intáctam serva,
ut ad ætérni gáudii núptias
mereáris admítti.

Virgo respondet:

Amen.

153. (Pro Officii divini traditione) Deinde, si opportunum videtur, Episcopus unicuique virgini consecratæ librum orationis Ecclesiæ tradit, his vel similibus verbis:

Accipe librum oratiónis Ecclésiæ
ut cæléstis Patris laudes
sine intermissióne in ore résonent tuo
et pro totíus mundi intercedás salúte.

Virgo respondet:

Amen.

Et redit ad locum suum.

154. Postquam omnes insignia professionis receperunt, virgines canunt antiphonam (pro cantu, cf. p. 32).

Ipsi sum desponsáta,
cui Angeli sérviunt,
cuius pulchritúdinem
sol et luna mirántur.

Iusta tamen de causa schola, postquam prima vel secunda anulum recepit, pro virginibus canit antiphonam Ipsi sum desponsáta, quam iterare potest post cantum unius vel plurium versiculorum congruentis psalmi vel cantici.

V. Altera formula benedictionis finalis

155. Oratione post communionem expleta, virgines nuper Deo sacratæ ante altare sistunt atque Episcopus, ad eas conversus, dicit:

Deus, sancti consílii inspirátor et effèctor,
sua vos constánter tueátur grátia,
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes gentes testimónium et signum.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et víncula quibus Christo
vos néxuit in terris,
in cælis benígnus perénnet.

Omnes:

Amen.

156. Et universum populum benedicit subiungens:

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater ✠, et Fílius ✠, et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes:

Amen.

APPENDIX

EXEMPLAR FORMULÆ PROFESSIONIS

Unicuique monialium familiæ est facultas componendi formulam professionis, a S. Congregatione pro Religiosis et Institutis sæcularibus probandam. Ad utilitatem vero monialium Institutorum hoc exemplar, a prædicta S. Congregatione confectum, proponitur:

I. Monialis vota profitens:

Ego, N. N.
ad Dei honórem,
firma voluntáte impúlsa
intímius ei me consecrándi
Christúmque préssius tota vita sequéndi,
coram soróribus adstántibus,
in mánibus tuis, N. N.*
perpétuam castitátem, paupertátem, obœdiéntiam vóveo
secúndum Régulam (et Constitutiónes) N.
et huic famíliæ me toto corde trado,
ut Sancti Spíritus grátia,
beáta María Vírgine adiuvánte,
in Dei Ecclesiǽque servítio
perféctam pérsequar caritátem.

II. Quæ vota recipit, dicere potest:

Et ego,
potestáte mihi trádita, nómine Ecclésiæ,
vota a vobis (te) in N. ** emíssa, suscípio,
vosque (teque) Deo instánter comméndo,
ut oblatiónem vestram (tuam),
sacrifício eucharístico adsociátam,
perfícere valeátis (váleas).

* Dicitur nomen et munus Antistitæ, quæ professionem recipit.
** Dicitur nomen familiæ religiosæ vel monasterii.

MISSA
IN DIE CONSECRATIONIS VIRGINUM

Hæc Missa dici potest, cum sacris vestibus coloris albi, extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

Ant. ad introitum — Ps 104, 4-5

Quǽrite Dóminum et confirmámini, quǽrite fáciem eius semper. Mementóte mirabílium eius quæ fecit.

Collecta

Da, quǽsumus, Dómine,
his fámulabus tuis,
quibus virginále infudísti propósitum,
inchoáti óperis consummátum effétum,
et, ut perféctam tibi ófferant plenitúdinem,
inítia sua perdúcere mereántur ad finem.
Per Dóminum.

Super oblata

Oblátis hóstiis, quǽsumus, Dómine,
his fámulabus tuis
perseverántiam suscépti propósiti
benígnus accómmoda,
ut, apértis iánuis summi Regis advéntu,
regnum cæléste cum lætítia mereántur intráre.
Per Christum.

In Precibus eucharisticis virginum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

In Precibus eucharisticis virginum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur « Hanc ígitur » proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,
quam tibi die eárum consecratiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
árctius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen).

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba « ... univérso clero » additur:

Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quas spiritáli unctióne hódie sacrásti;
ut, caritátis et fídei accénsis lampádibus,
tibi et pópulo tuo constánter desérviant,
Christi Sponsi exspectántes advéntum.

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba « ... pópulo acquisitiónis tuæ » additur:

Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ pia devotióne Christum tuum student sectári,
evangélicæ vitæ atque fratérnæ dilectiónis
testimónium præbéntes.

d) intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio virginum sacratarum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri
et istárum sorórum,
quas hódie divíno cúltui

et hóminum servítio perpétuo dicásti,
et offeréntium,
et circum astántium, ...

Ant. ad communionem Ps 41, 2

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Post communionem

Repléti, Dómine, munéribus sacris,
súpplices deprecámur,
ut famulárum tuárum N. et N. conversátio
et humánæ societátis proféctui
constánter fáveat,
et ad Ecclésiæ increméntum
indesinénter profíciat.
Per Christum.

INDEX